

& proventum, & alia onera, quæ per Sedem Apostolicam eis imposita, aut alias persolvunt, seu persolvere promiserunt, similiter numerant, & persolvendas, & consignan, secundum verum annum valorem fructuum, reddituum, & proventuum, & ad hunc effectum licet se; re: Pius Papa V. nonnullis tunc causis adductus, & Clemens, ac novissime Paulus Prædecessores nostri prædicti, & ex aliis tunc expressis causis eadem Congregationes a Decimis super fructibus, & redditibus Ecclesiasticis deinceps ubivis etiam in Dominio Venetorum, & ex quacumque causa imponendis liberat, & immunes fecerint, pari motu, scientia, auctoritate, & de apostolice potestatis plenitudine quoad fructus, redditus, & proventus ad ipsas Congregationes, & quamlibet earum in dicto Dominio Venetorum spectantes, immunitates, exemptiones, ac omnes, & quoscumque contractus, scripturas, conventiones, transactiones, concordias, pacta, instrumenta, obligationes etiam in forma Camera Apostolica, & juramento, vel alia quavis firmitate roborata præsertim inter Pium, & Clementem, ac Paulum Prædecessores prædictos, & Camera Apostolicam, & pro ea S. R. E. Camerarium, vel Thesaurarium generalem, aliove quoscumque tunc existentes, & eisdem Camera Ministros quantumvis ampla, & sufficienti facultate ad præmissa facien, suffultos ex una, & Congregationes ultimo dictas, illarumque Procuratores ex altera partibus, ac omnia, & quacumque privilegia, indulta, libertates, exemptiones, immunitates, hac de causa in hunc usque diem eisdem Congregationibus etiam ex causa, & titulo oneroso concessa, hac vice dumtaxat, & ex causis supradictis, suspendimus, ac ipsis Congregationibus quoad novem decimas prædictas hac vice, ut præfertur, suffragari volumus; illa vero alias in suo robore permanere decernimus, ipsaque Congregationes ex gravissimis causis prædictis novem decimis hujusmodi oneramus cum ceteris secularibus, ac regularibus Clericis personis ejusdem Domini Venetorum sexdecim, ut præfertur, indixerimus, tali nostre impositioni acquiescere, ac tacitas, & contentas esse volumus.

Per octo annos hujusmodi Decime persolvenda.

§.3. Universas vero, & singulas personas quavis dignitate, vel auctoritate fungentes, tam supradictas Ecclesias, Monasteria, & Beneficia quomodolibet obtinentes, ac pensiones, seu fructus, aut earum partem sibi, ut præfertur, reservatas percipientes, quam ultimodictas Congregationes, & eorum unumquemque, tam conjunctim, quam divisim ad hujusmodi decimas in octo annis binas videlicet decimas dumtaxat quolibet anno, & quoad ultimo dictas Congregationes singulas tantum decimas cum una octava parte alterius decimæ, quoad dictos autem Fratres Mendicantes singulas similiter decimas quotannis durante ostennio die 2. Junii proxime præteriti, qua ultima concessio expirat, computan., & ut sequitur, finien. in cæcis terminis per te præ-

figendis integre persolveren. efficaciter teneri, & vere obligatos esse, iisdemque pensionariis, aut eorum alicui pensiones annuas prædictas quantumlibet exemptas, & sub quibusvis obligationibus etiam in forma Camera, & Juramento, etiam de non contravenien., & forsan de non impetran. gratias nostras contra eos, & de non utendo concessis firmatas, aut alias vallatas, & forsan aliis cautelis, & decretis munitas, causam donationis super iisdem fructibus, & pensionibus, etiam medio Gedarum Banchi, seu in forma depositi habentibus, & intra octo annos prædictos habituris, etiam ipsi, a quibus pensiones hujusmodi solvent, sunt, juri, & actioni petenda, vel retinenda portio, aut rata partis pensionarios tange. jure jurando renunciaverint, ulla privilegia, aut indulgentias sub quacumque verborum forma, aut expressione concepta quo ad hoc nullatenus suffragari volumus; Sicque, & non aliter in prædictis universis, & singulis per quoscumque Judices, & Commissarios, etiam causarum Palatii Apostolice Auditores, & S. R. E. Cardinales in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, quidquid secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

§.4. Ut autem hujusmodi decimæ facilius exigantur, fraternitatem tuam, ac Ven. Fratres Patriarcham Venetiarum, & Episcopum Vicentin. ad dictas decimas exigendas, Ducique, & Dominio prædictis, sive ejus Ministris ad id specialiter deputatis statim nulla interposita mora, & sine aliqua profus diminutione, retentione, aut detractio, etiam non detractis quinque pro centenario Camera nostre prædictæ in exactione talium decimarum applicari consuevis, integre consignandas, earumdem decimarum collectores, & exactores per præsentem constituimus, & deputamus, ac tibi, & Patriarchæ Venetiarum, ac Episcopo Vicentin. pro onere, quod in exactione decimarum hujusmodi sustinebitis, quatuor millia scuta auri in auro ex eisdem decimis detrahenda, & illorum medietatem inter vos pro æquali portione, & quolibet anno ejusdem ostennii pro rata distribuend., & dividend., reliquam vero medietatem subcollectoribus, & aliis exactoribus, ac Procuratoribus ad eandem decimas colligendas deputatis etiam quolibet anno pro rata habita ratione laboris, & amplitudinis cujuscumque Civitatis, & Diocesis loco salarii, seu stipendii, & mercedis assignan., & distribuendi, ita tamen, ut non quotannis hujusmodi quatuor millia scuta, sed in toto ostennio integra summa eorundem quatuor millium scutorum pro rata quolibet anno detrahatur, ac tam vos, & quilibet vestrum, quam ipsi subcollectores, & alii prædicti ratione fructuum Ecclesiarum, quibus nunc præesse dignoscimini, aut imposterum præfici, vel Beneficiorum obtentorum

Collectorum deputatio.

rum, aut quæ obtinere, nec non fructuum, & pensionum, reservatorum, & assignatarum, quos, & quas vobis assignari posthac contigerit, decimas ipsas pro vestra, & illorum rata, & illorum quemlibet tangente integre, & realiter persolvere omnino teneamini, & dicta assignatione, & distributione contenti esse debeatis, nec quidquam aliud vos, & vestrum quilibet prætere posse, tibi, & aliis prædictis a dictis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Electis, Administratoribus, Commendatariis, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Capitulis, Conventibus, & aliis personis supra expressis exceptis, eandem decimas, ut præfertur, per Nos impositas petendi, exigendi, & colligendi, eisque, tam in genere, quam nominatim, & in specie, ut illas solvant, sub privationis Beneficiorum Ecclesiasticorum per eos quomodolibet obtentorum, aliique prout Nobis videbitur, pœnis etiam pecuniariis, ac demum per sententias, & censuras ecclesiasticas mandandi, & præcipiendi, & pro earumdem decimarum faciliiori exactione unum, vel plures subcollectores, qui in dignitate ecclesiastica constituti sint, pari ac tu, vigore presentium facultate fungantur per locorum Ordinarios in quacumque Civitate, & Diocesi, & loco sibi subiecto pro tempore deputatos approban., & si quis ex ipsis Ordinariis intra aliquem brevem terminum vestro arbitrio præfign. viros idoneos ad id deputare neglexerit, tibi etiam sine illorum consensu vestro arbitrio, illos libere deputan., & deputatos amoven., aliove eorum loco, toties quoties tibi videbitur, substituendi, & subrogandi, ac solvere recusantes, & differentes; & generaliter Contradictores quoslibet, & rebelles, & ne decimæ hujusmodi solvantur persuadentes directe, vel indirecte, per ipsas censuras ecclesiasticas, ac alia opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendi, auxiliumque brachii secularis contra eos ad hoc, si opus fuerit, invocan.: Solventes vero de solutis quietandi, & liberandi, a censuris, & pœnis, quas dicta occasione quomodolibet incurrerint, absolvendi, ac generaliter omnia, & singula alia in præmissis, & circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna faciendi, ordinandi, mandandi, & exequen. plenam, & liberam, auctoritate, & tenore prædictis, facultatem concedimus, & potestatem.

§.5. Non obstantibus regula nostra de non tollendo jure quesito, ac aliis quibusvis apostolicis, ac etiam in provincialibus, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, cæterisque contractis quibuscumque. Aut si ipsis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Electis, Administratoribus, Commendatariis, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Capitulis, Conventibus, Congregationibus, & aliis personis prædictis, vel quibusvis aliis communiter, aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quod ad solutionem alicujus decimæ non teneantur, & ad id compelli, aut quod in Bull. Rom. Tom.V. Par.V.

Collectorum facultates.

Darogatio contrariorum.

terdici, suspendi, vel excommunicari, seu extra, vel ultra certa loca ad Judicium evocari non possint per literas apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Et quibuslibet aliis privilegiis, & exemptionibus, etiam in corpore juris clausis, ac literis apostolicis quibuscumque dignitatibus, seu ordinibus specialiter, vel generaliter sub quacumque verborum forma expressis, etiam si motu proprio, ac de apostolice potestatis plenitudine, & consistorialiter, ac etiam in vim contractus emanaverint, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ad verbum habenda esset mentio specialis, quæ eis quoad præmissa volumus in aliquo suffragari.

§.6. Volumus autem, quod juxta ordinationem in Concilio Viennen. super hoc editam, calices, libri, & alia ornamenta Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum, & aliorum piorum Locorum divino cultui dedicata ex causa pignoribus, vel alia occasione solutionis decimarum hujusmodi, nullatenus capiantur, distrahantur, vel occupentur; Quodque presentium literarum transumptis tuo, vel alterius Prælati ecclesiastici sigillo, & publici Notarii subscriptione munitis, eadem pro fusus fides adhibeatur in Judicio, & extra, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibite, vel ostense.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 2. Julii 1622. Pontificatus nostri Anno II.

Decreta Concilii Viennen. servanda.

Dat. die 2. Julii 1622. An. II.

LXVI.

Episcopo Adurensi committitur regimen Monasteriorum Monialium Reformatarum Ordinis Sancti Benedicti in Gallia Regno, in locum Archiepiscopi Senonensis.

Ex Regest. in Secreti. Brevo.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

§.1. Alias a Nobis emanarunt literæ tenoris subsequenti videlicet: Gregorius Papa XV. Ad perpetuam rei memoriam. Ad militantis Ecclesie regimen, divina dispositione, meritis licet imparibus, eveni, illud præceteris curandum proposuimus, ut Religiosorum ordines ad pristinam cujusque regularis eorum instituti normam, quantum eum Domino possumus, reduceremus, & propterea, qui sua sponte religionis, & arctioris vitæ zelo ducti, pristina regulæ, quam suæ religionis auctores susceperunt, observantiam amplecti, & de cætero sectari desiderant, eisdem non solum in eorum proposito confovere, sed etiam opportunis favoribus, & gratis profœqui solemus. Exponi siquidem Nobis nuper fecit charissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum Rex

Referre præcedentes literas, quibus nonnullis honorum Monasteriorum curam commiserat.

F Chri.

Ordinis, & instituti regularibus mandat, ac precipit, ut in Sacrosancto Missae sacrificio, ac divino officio celebrandis, tam publice, quam privatim, non alio, quam Conceptionis nomine uti debeant.

Sequitur concessio Fratibus Ordinis Praedicatorum de materia Conceptionis Beati-ssimae Virginis Mariae inter se in privatis colloquiis differendi.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad futuram rei memoriam.

EXimii, atque singulares fructus, quos dilecti filii Fratres Ordinis Praedicatorum in militanti ecclesia, cujus regimini, divina disponente clementia, praesidemus, attulerunt, & in dies afferunt, promerentur, ut eosdem Fratres, specialibus favoribus, & gratiis, quantum cum Domino possumus, libenter prosequamur.

§. 8. Alias siquidem fel. rec. Paulus Papa V. Praedecessor noster. Omittitur residuum decreti huius, quia est hic supra in Rubrica citat.

§. 10. Nunc autem Nos ejusdem Fratres Ordinis Praedicatorum, quos in visceribus gerimus caritatis, specialibus fructibus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, omnibus, & singulis dicti Ordinis Praedicatorum Fratibus, ut de cetero in quibuscumque privatis eorum colloquiis, seu conferentiis, inter se dumtaxat, & non inter alios, aut cum aliis de materia ejusdem Conceptionis B. Mariae Virginis differere, & tractare, absque ullo poenarum in dictis decretis contentarum incursum, libere, & licite possint, & valeant, apostolica auctoritate, tenore praesentium, licentiam concedimus, & impartimus.

§. 11. Decernentes, fratres praefatos a quoquam quavis auctoritate desuper molestari, perturbari, vel inquietari nullatenus posse, aut debere; sicque, & non aliter per quoscumque judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores ubique judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

§. 12. Non obstantibus singulis praemissis, ac constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die 28. Julii 1622. Pontificatus Nostri Anno II.

Contrariis derogat.

Executores deputat contra omnes.

Publicationis in Urbe decernit, omnes ligare debere.

Anno a Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo sexcentesimo vigesimo secundo. Indict. V. die vero secunda mensis Junii, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Gregorii Divina providentia Papa XV. Anno ejus secundo, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Florae, ut moris est, per me Brandimartem Latinum SS. D. N. Papae Curiae.

Proemium.

Paul. V. Decretum quod hic Pont. ampliat in Constit. praecedenti.

Concessio, de qua in Rubr.

Et ita, & non aliter judicari decernit.

Quibuscumque non obstantibus.

Dat. die 28. Julii 1622. An. II.

Quod

Quod in excommunicationem, & censuras Ecclesiasticas non incurrant, qui frumenta, & alias hujusmodi Annona species, extra Statum Ecclesiasticum certis in casibus extrahunt.

Contra hujusmodi frumenta extrahentes extant nonnullae Praedecessor. Pont. leges quae recensentur in Const. XXII. Pauli V. Inter. Tom. V. Par. III. fol. 173.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

ROMani Pontificis providentia circumspecta, ea quae iustas ob causas interdum statuta sunt, cum temporum ratio, & ipsa rerum experientia suadet, moderatur, & immutat, prout conspicit in Domino salubriter expedire.

§. 1. Alias siquidem a fel. rec. Paulo Papa V. Praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris subsequentes videlicet: Inter gravissimas curas, quas pro nostro munere assidue sustinemus, illa postrema non est, in quam Nobis totis viribus incumbendum esse ducimus, ut nimirum Urbem nostram, & universam Ecclesiasticam ditionem Annona caritate jamdiu graviter laborantem, quantum cum Domino possumus, liberemus &c.

§. 2. Subinde vero per eundem Paulum Praedecessorem accepto, a nonnullis dubitari, an per praesentatas suas, aliasque litteras, & provisiones supradictas etiam prohiberetur, ne frumenta, blada, legumina, & id Annona genus, etiam si in propriis bonis in statu Ecclesiastico existentibus, essent recollecta, a locis Sedi Apostolicae immediate subjectis, ad loca eidem Sedi mediate subjecta, & a dictis locis sic mediate subjectis ad alia loca extra dictum Statum asportarentur, & conducerentur, & idem Paulus Praedecessor motu proprio &c.

§. 3. Cum autem, sicut accepimus, nonnullorum locorum Status nostri Ecclesiastici Nobis immediate subjecti persona frequens admodum commercium cum personis ejusdem Status Nobis mediate subjecti, & e contra propter locorum vicinitatem, seu alias habeant, propterea easdem personas saepe censuris, & poenis hujusmodi in eorum perniciem animarum variis modis illaqueari contingat; Nos earumdem personarum conscientiarum securitati, & animarum saluti, commodisque paterna caritate, quantum cum Domino possumus, prospicere volentes, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolice potestatis plenitudine, Quod de cetero omnes, & quaecumque personae, quae Annona in constitutionibus praedictis extrahi prohibita, etiam solummodo quantitatem, quae ad necessariam sustentationem suam, & familiarum suarum, unius anni, sive usque ad novam mes-

Exordium.

Paulus V., & alii Praedecessores contra extrahentes frumenta plures leges ediderunt.

Idem Paulus aliam addidit Constitut.

Gregor. iustus de causis excommunicationis & censuras contra illos impostas casibus hic expressis non incurrite decernit.

Primus casus.

sem sufficiat, extra Statum nostrum Ecclesiasticum hujusmodi Nobis, & S. R. E. immediate subjectum ad Statum mediate subjectum.

Necnon quod pauperes, qui fasciculos spicarum in agris relictarum, unius diei labore collectos, pro victu, & necessitate tantum sua diurna.

Ac similiter quod religiosi mendicantes, qui granum, legumina, & alia similia pro elemosyna data, pro victu Conventuum suorum communi.

Ac praeterea quod rustici, & pauperes operarii, qui mercedem diurnam, non nisi in grano, aut aliis Annona generibus hujusmodi consequi possunt.

Quique ad mercatores pullos, ova, fructus, vel alia similia in parva quantitate ferunt, & ex pretio rerum praedictarum panem, farinam, & similia pro suo, & familiarum suarum usu, & necessitate dumtaxat ex locis Status praedicti immediate subjecti ad loca Status Nobis mediate subjecti, aut etiam extra Statum nostrum Ecclesiasticum, extraxerint, & asportaverint, dummodo omnis dolus, & fraus absit, ac mercatura; excommunicationis poenam, ac censuras Ecclesiasticas non incurrant, decernimus, statuimus, & ordinamus.

§. 4. Non obstantibus praedictis Pauli Praedecessoris, & aliorum Rom. Pont. ejusdem Pauli expressis literis, ceterisque contrariis quibuscumque, Admonemus autem, & in Domino hortamur omnes Christianifideles, ad quos spectat, ut nostro hujusmodi pastoralis indulgentiae beneficio minime abutantur, & agi meminerint de dispendio salutis aeternae.

§. 5. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 30. Julii 1622. Pontificatus Nostri Anno II.

Confirmatio, & ampliatio Constitutionis Clementis VIII. circa novorum Conventuum Regularium erectiones.

GREGORIUS PAPA XV.

Cum alias fel. rec. Clemens Papa Octavus decreverit, Ordinarios locorum, licentiam ad novos Conventus quoscumque, praesertim mendicantium, Ordinis, in Civitatibus, & locis eorum ordinariae jurisdictioni subjectis erigendos, impartiri non posse, nisi vocatis, & auditis aliorum in eisdem civitatibus, & locis existentium Conventuum Prioribus, seu Procuratoribus, & aliis interesse habentibus, & causa servatis servandis cognita, in eisdem civitatibus, & locis novos hujusmodi erigendos Con-

Secundus casus.

Tertius casus.

Quartus casus.

Quintus casus.

Contrariisque derogat.

Transumptis quoque credi mandata.

Dat. die 30. Julii 1622. An. II.

Enunciatur tenor Constitutionis, cccxxiij. Clem. VIII. quae est T. V. p. III. fol. 18.

candem vero Majestatem tuam pro praemissis, nec non Religionis Catholicae, ac obedientiae erga S. R. E. conservatione in tuis, & exteris ditionibus, & Regnis aliis gravissimis assidue sumptibus urgeri, ipsi ob gravia, quibus ab eisdem Piratis afficiuntur, damna, pro sublevandis aliqua in parte expensis ad hoc necessariis, tibi summam centum millium ducatorum monetae illorum partium sub certis terminis, ac modo, & forma exigendam obtulerint.

§.2. Regnum vero praedictum admodum pauper existat, ejusque reddituum major pars sit Ecclesiasticorum, qui etiam magna ex parte in dicto Regno sunt in temporalibus Domini, ita, ut laici per se solos propter eorum paupertatem summam praedictam solvere non possint, tuaque majestas nobis hac significaverit.

§.3. Nos, etsi personas Ecclesiasticas dicti Regni respectu illius paupertatis valde gravatas esse perfectum habeamus, tamen quia pro fabrica tantum dictarum Navium postulat, & mentis, ac intentionis, & deliberatae voluntatis nostrae est praesentes pro hac vice, & pro hac necessitate dumtaxat absque ulla spe prorogationis concedere, neque id alioquin faceremus, summam centum millium ducatorum hujusmodi solutionem per eisdem Regni personas Ecclesiasticas, quarum nihilominus etiam causa, & salus agitur, adjuvandum, ut infra existimavimus; Itaque de venerabilium fratrum nostrorum nonnullorum S. R. E. Cardinalium, quibus negotium hujusmodi mature examinandum, & nobis referendum commissimus, consilio, omnes, & singulas personas Ecclesiasticas tam seculares, quam cujusvis Ordinis, & praesertim Sancti Benedicti, & Cisterciensis, etiam exempti, ac nobis, & Apostolicae Sedi immediate subiecti Regulares, nec non monasteria utriusque sexus, Conventus, & Collegia, ac Ecclesiarum Capitula dicti Regni, & in eodem Regno commoran., & consisten. ad conferen., & contribuend. proportionabiliter honestam portionem juxta cujusque redditum quantitatem, ita tamen, ut rata cujusque Ecclesiastici sit minor proportionabiliter, quam rata cujusque laici, & non alias, aliter, nec alio modo in solutione summam pecuniarum hujusmodi, dummodo tamen hac summa tam ab Ecclesiasticis, quam laicis persolvenda in totum centum millium ducatorum similium, non excedat pro hac vice, & pro dicta fabrica Navium contra Piratas dumtaxat absque ulla spe prorogationis teneri, & obligatos esse decernimus.

§.4. Volumus autem, ut exactio rate per easdem personas Ecclesiasticas conferenda, & contribuenda per personas similiter ecclesiasticas tantum a Venerabili fratre moderno Episcopo Salamantino deputandas fiat, & ad hujusmodi rate solutionem nulli compellantur, qui redditus ad necessariam sustentationem dumtaxat possident, quodque rata a dictis Ecclesiasticis, ut praefertur, percipienda in alios usus, quam

Quod ab Ecclesiasticis solvi posse per Philippum.

Concedit Gregorius.

Exactio tamen per ecclesiasticos fieri mandat.

Navium praedictarum, pro quibus, ut praefertur, contribuitur nullatenus convertatur, super, quo majestatis tuae conscientiam oneramus.

§.5. Quocirca eidem Episcopo Salamantino, per praesentes committimus, & mandamus, quatenus ipse per se, vel alium, seu alios praesentes literas, & in eis contenta quaecumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte tua fuerit requisitus solemniter publicans, faciat auctoritate nostra illas ab omnibus, ad quos spectat inviolabiliter observari. Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

§.6. Non obstantibus dicti Regni statutis, & consuetudinibus, ac sa. re. Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri de una, & in concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, etiam in quibusvis generalibus Conciliis editis, privilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis, personis, Capitulis, Monasteriis, Conventibus, Collegiis, & aliis praedictis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, aliisque decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium praemissorum quomolibet concessis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, etiam si pro eorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum omnium, & singulorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.7. Volumus autem, ut praesentium transumptis etiam impressis manu Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides ubique tam in iudicio, quam extra adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostense.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 19. Julii 1622. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Episcopi Salamantini presentium litterarum executorum deputat.

Obstantia tollit.

Transumptis credi jubet.

Dat. die 19. Julii 1622. An. II.

Am-

LXVIIII.

Ampliatio, & declaratio prohibitionis asserendi B. Mariam Virginem conceptam fuisse in peccato originali.

Ad haec vide Constitut. CCLXII. Regis. Pauli V. Tom. V. Par. IV. fol. 209.

In generali Congregatione Sanctae Romanae, & Universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico in Monte Quirinali coram SS. D. N. Gregorio divina providentia PP. XV., ac Illustriss. & Reverendiss. DD. S. R. E. Card. adversus haereticam pravitatem Inquisitionis generalibus a Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis, feria 3. die 24. Maii, Anno a Nativitate D. N. Jesu Christi 1622.

Sanctissimus D. N. auditis votis Illustrissimorum, & Reverendissimorum DD. Cardinalium contra haereticam pravitatem Generalium Inquisitionum, decretum alias editum a fel. rec. Paulo V. eius praedecessore tenoris sequentis, videlicet.

Sanctissimus Dominus noster post longam, & maturam discussionem auditis votis Illustrissimorum, & Reverendissimorum DD. Cardinalium contra haereticam pravitatem Generalium Inquisitionum, re accurate, ac diligenter perpensa, provide considerans, quod quamvis in Constitutione fel. rec. Sixti IV. super Conceptione Beatissimae Virginis Mariae pro submovendis inter Christianos scandalis, rixis, & contentione edita, a S. Tridentina Synodo innovata, & deinde in alia constitutione San. me. Pii V. super eadem re, quas similiter sanctitas sua innovavit cum quibusdam provisionibus, & adjectionibus, poenarum pro efficaciori earum observatione; relinquatur unicuique libera facultas tenendi, & etiam asserendi utramque partem, quod scilicet fuerit, vel non fuerit concepta cum peccato originali, & dum tamen neutra, veluti erronea, aut haeretica damnetur, nihilominus ex occasione asseritionis affirmativae in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & actibus publicis, quod eadem Beatissima Virgo fuerit cum peccato originali concepta, oriuntur in populo Christiano, cum magna Dei offensa, scandala, jurgia, & dissensiones. Propterea volens hujusmodi scandalis ex debito sui muneris providere, decrevit, & praecipit, ac praesentis decreti virtute mandat, & praecipit omnibus, & singulis cujusvis Ordinis, & instituti regularibus, & aliis quibuscumque, tam ecclesiasticis, quam secularibus personis cujusvis conditionis, status, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticae, quam secularis, etiam si specialis, specifica, & individua earum esset necessario mentio facienda, ut in posterum, donec articulus hujusmodi a Sancta Sede Apostolica fuerit diffinitus, vel per Sanctitatem suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus,

Paulus V. decreta

Prohibuit in actibus publicis asserere. B. Virg. conceptam fuisse in peccato originali, ut in Const. cit. in Rubric.

& aliis quibuscumque actibus publicis asserere, quod eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali; Contrafacientes autem eadem Sanctitas sua voluit, & declaravit subiacere debere, & subiectis censuris, & poenis contentis in supradictis constitutionibus suorum praedecessorum, & sua ipso facto incurrendis: Per hujusmodi tamen provisionem Sanctitas sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ullam prorsus praedictam inferre, eam relinquens in eisdem statu, & terminis, in quibus de praesenti reperitur, praeterquam quoad supra disposita. Ulterius sub eisdem censuris, & poenis mandans, quod negativam opinionem, videlicet quod non fuerit concepta cum peccato originali, in praedictis publicis actibus asserentes, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant, seu tractent. Insuper voluit, & expresse mandavit, ut extra hos casus expressos publicorum actuum, in reliquis omnibus supradictis constitutionibus firmis, & illatae remaneant, & exacte observentur, perinde ac si praesens decretum non emanasset. Et ita decrevit, & mandavit ubique inviolabiliter observari, non obstantibus in hac parte supradictis constitutionibus, & aliis omnibus in contrarium facientibus.

§.2. Hoc suo praesenti decreto ex eisdem causis evitandi scandala, dissensiones, atque discordias in Populo Christiano, quae pari ratione oriri possunt, & ut accepit, in aliquibus Regionibus jam orta sunt ex sermonibus privatis occasione asseritionis affirmativae, extendit, & ampliavit etiam ad privata colloquia, & scripta, mandans, & praecipiens omnibus, & singulis supradictis, ne de cetero, donec articulus hujusmodi a Sede apostolica definitus, vel per Sanctitatem suam, & Sedem apostolicam fuerit aliter ordinatum, neque etiam in sermonibus, & scriptis privatis audeant asserere, quod eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmativa aliquo modo agere, seu tractare, exceptis tamen quibus a Sancta Sede Apostolica fuerit super hoc specialiter indultum. Per hoc tamen Sanctitas sua non intendit reprobare hanc opinionem, nec e ullam prorsus praedictam inferre, eam relinquens in eisdem statu, & terminis, in quibus reperitur, praeterquam quoad in supradicto fel. record. Pauli V., & hoc suo decreto disposita.

§.3. Eademque Sanctitas sua voluit, & expresse mandavit, ut in reliquis omnibus, ubi hujusmodi decretis non adversantur, constitutiones Sixti IV. Alexandri VI., & Pii V., ac Pauli V. eius Praedecessorum super Conceptione Beatissimae Virginis firmas, & illibatas remaneant, ac exacte observentur, perinde ac si hujusmodi decretum non emanasset.

§.4. Et insuper eadem Sanctitas sua, cum S. R. E. de Beatissima Virginis Conceptione festum solemniter, & Officium celebret, omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis, tam secularibus, quam cujusvis

Quod hic Pont. extendit etiam ad actus privatos

Et in reliquis servandas esse aliorum Pont. Constitutiones.

Et in divinis officis celebrandis non alio qua Conceptionis nomine uti debere.

Christianissimus, quod non ita pridem unum Monasterium Monialium Reformatarum nuncupatarum Ordinis Sancti Benedicti sub illius primitiva Regula in Pictaven. & successively ad illius instar aliud in Andegaven. & aliud in Leonen. Civitatibus, nec non reliquum in Oppido della Val Cenomanen. Diocesis Monasteria erecta, ac cura, & gubernio dilectorum filiorum Abbatis Generalis, & Monachorum Congregationis Beate Marie Fullien. etiam nuncupata Cisterciens. Ordinis commissa fuerunt; nec non ad Monasteria hujusmodi quondam Antonia de Orleans, dum vixit, Priorissa Monasterii Monialium de Lencastro Ordinis Fontis Ebraldi sub Regula Sancti Benedicti Pictaven. Diocesis, ac diversae aliae dicti Monasterii Moniales melioris vite studio ductae de licentia Sedis Apostolicae se transferunt. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, cura, & gubernium regularibus eorundem Monasteriorum institutis adverteretur, & propterea, ac aliis certis de causis Abbas, & Monachi hujusmodi cura, & gubernio praedictorum, & aliorum pro tempore erigendorum Monasteriorum dictorum Monialium vacare non possint, & trium primordiorum Monasteriorum Moniales cura, regimini, jurisdictioni, & administrationi dilecti filii nostri Henrici S. R. E. Cardinalis de Rez nuncupati, ac Venerabilis Fratris Joannis Archiepiscopi Senonen., nec non Superioris Monachorum Reformatorum Ordinis Sancti Benedicti in Regno Francia se se submittere, ac multae aliae simili studio accensa, illarum vestigia sequi desiderent; curam vero, & gubernium hujusmodi Henricus Cardinalis, & Joannes Archiepiscopus, nec non Superior Monachorum Reformatorum d. Ordinis in Regno Francia praedicti suscipere parati sint: Nobis propterea dictus Ludovicus Rex, ne tam salutare in Ecclesia Dei opus imperfectum remaneat, humiliter supplicari fecit, ut super praemissis modo, & forma infrascriptis providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui pro nostri pastoralis officii debito, sanctimonialium statui prospere dirigendo libenter intendimus, pium dicti Ludovici Regis desiderium plurimum in Domino commendantes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut praedicta, & alia quaecumque Monialium Monasteria in Regno Francia pro tempore canonice erigen. Ordinis S. Benedicti Regulam, & primitiva instituta cum pristino illo rigore suscipere, & observare, & praedictorum superiorum cura, & regimini se subicere de consensu tamen Ordinariorum libere, & licite valeant, cum hoc tamen, ut dictorum Monasteriorum, postquam Regulam, & Instituta hujusmodi susceperint, Priorissa triennales esse debeant; in eodem tamen Priorissa officio ad aliud triennium dumtaxat confirmari possint, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo concedimus, & indulgemus, ac ex nunc primordicta quatuor, praevia illorum a cura, gubernio, & admini-

stratione Abbatis, & Monachorum Congregationis hujusmodi, quatenus opus sit, opportuna abdicatione, & quaecumque alia Monialium primitivam Ordinis S. Benedicti Regulam amplecti volentium Monasteria cum eorum omnibus bonis mobilibus, & immobilibus cujuscumque generis, speciei, valoris, naturae, quantitatis, & qualitatis existentibus, cura, regimini, administrationi, & jurisdictioni Henrici Cardinalis, & Joannis Archiepiscopi praedictorum quoad vixerint, & eorum quilibet vixerit, ac pro tempore existentis in dicto Regno Superioris Monachorum Reformatorum dicti Ordinis S. Benedicti subicimus, supponimus, & submittimus, illisque, vel illorum quilibet in aliorum duorum absentia dictarum Monialium Visitatorem, qui ad triennium duret, ac pro prima vice dumtaxat Superiorem ex dictis Monachis Reformatis eligendi, & deputandi, ita tamen, ut si Henrici Cardinalis, aut Joannis Archiepiscopi praedictorum vita durante, Superior, ut praefertur, electus, & nominatus non fuerit, omnis auctoritas, & superioritas, ad praedictorum Monachorum Reformatorum Superiorem tunc existentem devoluta esse censetur, & talis Superior tunc omnimoda, seu ordinaria auctoritate in dictas Moniales polleat, ipsisque Henrico Cardinali, & Joanni Archiepiscopo, nec non Superiori conjunctim, vel duobus eorum in alterius absentia, omnes, & singulas Constitutiones, & Statuta praesertim a dicta Antonia pro observatione primitivae Regulae hujusmodi condita, Sacris tamen Canonibus, & Conciliis non contraria approbandi, & etiam alia similiter non contraria, ut praefertur, condendi. Insuper, quod antiqua dicti Ordinis Monasteria, in quibus vera ipsius Sancti Benedicti Regula observabitur, accedente consensu Ordinariorum locorum, sub quorum Jurisdictione existent, dictae Congregationis privilegiis gaudere, quodque in ejusdem Ordinis non Reformati Monasteriis, etiam si illa Henrico Cardinali, ac Joanni Archiepiscopo, ac Superiori praedictis non subsint, subiecta pro spirituali eorundem Monasteriorum consolatione, aliqua Reformatae hujusmodi Moniales capaces, & idoneae pro primitivae hujusmodi Regulae Sancti Benedicti introductione recipi libere, & licite possint, & valeant, licentiam, & facultatem, auctoritate, & tenore praedictis concedimus, & impertimur. Praeterea omnibus, & singulis dictorum Monasteriorum Monialibus, & personis pro tempore existentibus, ac Monasteriis, & locis Regularibus, eorumque bonis, & rebus, quod omnibus, & singulis privilegiis, gratis, indultis, exemptionibus, praerogativis, & aliis gratis, tam spiritualibus, quam temporalibus, quibus alia dicti Ordinis Sancti Benedicti Monasteria, & loca regularia, eorumque personae de jure, vel consuetudine, aut alias quomodolibet utuntur, potuntur, & gaudent, pari modo uti, potiri, & gaudere possint, & valeant, etiam perpetuo concedimus, & indul-

dulgemus. Postremo omnibus, & singulis dictis Monialibus, die, quo habitum susceperint, & professionem in eadem Congregatione emisserint regulares, si vere poenitentes, & confessae Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumserint, plenariam iisque in cujuslibet earum mortis articulo, si vere poenitentes, & confessae, ac Sacra Communionem resece, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contra nomen Jesu ore, si poterint, sin autem, corde devote invocaverint, etiam plenariam. Ac tam ipsis Monialibus, quam quibuscumque aliis utriusque sexus Christianidelibus vere poenitentibus, & confessis, ac Sacra Communionem resece, qui Monasteriorum dictae Congregationis Ecclesias in secundo Paschatis Resurrectionis, ac Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, nec non Assumptionis Beatae Mariae Virginis festis diebus primis Vesperis usque ad occasum solis dieum hujusmodi singulis annis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die festivitatum praedictarum id egerint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Decernentes praesentes literas semper, & perpetuo validas, & efficaces esse, suoque plenarias, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos nunc spectat, & pro tempore spectabit, firmiter, & inviolabiliter, ac inconcussae observari, & adimpleri debere, irritum quoque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 22. Martii 1621. Pontificatus nostri Anno I.

Episcopum Adversus Archiepiscopos nonnulli subrogat.

§.2. Cum autem, sicut dictus Ludovicus Rex Nobis nuper exponi fecit, dictus Joannes Archiepiscopus non ita pridem, sicut Domino placuit, ab humanis decesserit; Henricus vero Cardinalis praedictus publicis ejusdem Regni negociis, nec non Superiorum Monachorum Reformatorum hujusmodi gravissimis subditorum suorum negociis ita occupati respective existant, ut eorundem Monialium regimini, & directioni, prout opus foret, vacare nequeant. Idcirco Nos pro nostri pastoralis officii debito in praemissis, quantum cum Domino possumus, opportune providere volentes, supplicationibus ejusdem Ludovici Regis Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Venerabilem Fratrem Sebastianum Episcopum Aduren. in locum praedicti Archiepiscopi Senonen. in, & quoad praemissa apostolica auctoritate, tenore praesentium substituímus, & subrogamus.

Aliquo ex deputatis de-

§.3. Quodque deinde perpetuis futuris temporibus, uno ex tribus praedictis obeun- Bull. Rom. Tom. V. Par. V.

te, reliqui duo, aut unus ex eis aliam personam ecclesiasticam pietate, doctrina, & vitae sanctimonia praestantem nominare, dictaque tres personae sic pro tempore nominatae Visitatorem Monasteriorum Monialium hujusmodi eligere, ac ipsa Monasteria, illorumque Abbatissas, & Moniales pro tempore existentes, eorumque omnia bona mobilia, & immobilia cujuscumque generis, speciei, valoris, naturae, quantitatis, & qualitatis existent. regere, & administrare possint, & debeant.

dente alium substitui posse per ceteros indulget.

§.4. Praesentes vero literas semper, & perpetuo validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suoque plenarias, & integros effectus sortiri, & obtinere; Sique in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, statuimus, atque decernimus.

Clausula.

§.5. Non obstantibus praemissis, ac omnibus illis, quae in literis praesentis hujusmodi volumus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrarium

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 18. Julii 1622. Pontificatus nostri Anno II.

Dat. die 18. Julii 1622. An. II.

LXVII.

Subsidium centum millium Ducatorum ab Ecclesiasticis Regni Galitiae Regi Catholico pro fabricandis navibus ad defendendas oras Maritimas ex infestationibus haereticorum, & Piratarum praestari posse permittit.

Ex Reges. in Secret. Breu.

Charissimo in Christo filio Nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico.

GREGORIUS PAPA XV.

Charissime in Christo fili noster salutem, & Apostolicam benedictionem.

Eximius Majestatis tuae orthodoxae fidei conservandae, & propagandae zelus, ac singularis in nos, & apostolicam Sedem devotionis, aliaque praestantia merita plane exigunt, ut subsidia pro ejusdem fidei, tuorumque Regnorum, & subditorum ab hostibus fidei defensione, ab eisdem subditis tuis prompte oblata, quantum cum Domino possumus, adjuvemus.

Exordium a Regis laudibus desumptum.

§.1. Cum itaque, sicut accepimus, subditi Regni tui Galitiae animadvertentes Majestatem tuam crescentibus in dies magis in mari Oceano Piratarum haereticorum infestationibus pro Civitatum, Urbium, & aliorum locorum maritimarum, Portuumque dicti Regni contra eorundem Piratarum impetus infestationes, atque direptiones defensione praesidium orae Maritimae dicti Regni octo Navibus gravioribus Galionibus vulgo nuncupatis augere velle,

Subditi Regni Galitiae subditi Regi offerunt pro navibus contra eos ad oras maritimas ex Piratarum infestationibus defendendas;

ventus, sine aliorum detrimento, commode sustentari posse, confiterit. Si vero ab eorum sententia ad Sedem Apostolicam provocari, & appellari contigerit, ipsos Ordinarios tamdiu erectionem novorum Conventuum suspendere debere, quamdiu a dicta Sede in ea causa pronuntiata extiterit, nec alias, prout in decreto hujusmodi plenius continetur.

Decret. Card. Preposit. negotiorum Regularium Gregor. anno 1622.

§.2. Verum per pie mem. Paulum Papam Quintum accepto, plerisque ex Ordinariis predictis, favore, vel nimia expositione importunitate ad novos Conventus, seu Domus, praeter, & contra tenorem predicti decreti erigendos, plerumque adduci, quo fit, ut, non habita debita elemosynarum, seu reddituum cujuscumque Monasterii, Conventus, seu Domus ratione, Monachi, seu Fratres, aut Religiosi ibi degentes, manuteneri nequeant, & ad tam exiguum numerum reducantur, ut cultus divinus in eorum Ecclesiis destituatur, ibique regularis disciplina, ut convenit, conservari non valeat. Sacra Congregatio Illustrissimorum DD. Cardinalium negotiorum Regularium praepositorum, ad quos idem Paulus Papa V. negotium hujusmodi rejecerat, tot incommodis obviam ire, eisque aliquod opportunum remedium adhibere cupiens, decreti hujusmodi veriores, ac totos tenores praesentibus, ac si de verbo ad verbum inferentur, pro plene, & sufficienter expressis habens, viva vocis oraculo a SS.D.N. Gregorio Papa XV. habito, decretum predictum, quatenus opus sit, innovat, & in usum reducit.

Ampliusque & extendit.

§.3. Volens, quod de caetero Monasterium, Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum, seu Regularium cujuscumque, etiam mendicantium, Ordinis, societatis, & instituti, quocumque nomine nuncupentur, etiam si de illis particularis, expressa, & specifica mentio habenda esset, in quacumque Civitate, vel Oppido, seu quocumque alio loco non erigantur, nisi in eo saltem duodecim Fratres, aut Monachi, seu Religiosi inhabitare, ac ex redditibus, & consuetis elemosynis sustentari valeant, ac Priores, seu Procuratores aliorum Monasteriorum, Conventuum, seu Domorum aliarum Religionum, vel Congregationum, aut societatum, seu institutorum hujusmodi non solum in predictis, sed etiam in aliis per quatuor millia passuum circumvicinis locis, ad id vocati, & auditi fuerint, ac tali erectioni consenserint, vel alias Ordinariis locorum confiterit, Religiosos Monasterii, Conventus, seu Domus regularis sic erigendi, seu erigende, absque detrimento Religiosorum in Monasteriis, seu Domibus antea in Civitatibus, seu locis hujusmodi erectis degentium, ibi in numero duodecim commode, & congrue manuteneri, & alii posse. Si vero novi Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas hujusmodi instituendae erunt, nullaeque alii Regulares inibi reperiantur, Ordinarii locorum nihilominus diligenter inquirent, ac locorum incolae, & habitatores,

quorum, & consensum requirant, ac adhibeant, hujusmodi duodecim Religiosos in Conventibus, ut praemittitur instituendis commode alere, & manuteneri valeant.

§.4. Si vero a decreto, seu decretis per Ordinarios predictos in causis hujusmodi ferendis legitime appellari contigerit, ex nunc prout ex ea die, qua appellatio interponitur, ea ad eandem Sacram Congregationem una cum toto negotio principali devoluta censeatur, appellationeque hujusmodi pendente, nihil innovandum esse, irritumque, & inane quicquid fecerit super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, faciens, quibuscumque in contrarium faciem. non obstantibus.

Appellatione a decretis de super fieri per locorum Ordinarios ad d. Congregationem eaque pendente nihil innovare decrevit.

Roma 17. Augusti 1622. Rom. 17. Augusti 1622.

Ant. Card. Saulius.

LXXI.

Privilegia, & Indulta Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in Cappella Sanctitatis suae assistentibus.

Non dissimilia privilegia concessit hujusmodi assistentibus Jul. III. in Const. XIV. Romanus. Tom. IV. Par. I. fol. 279.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Circumspecta Romani Pontificis, gratiarum dispensatoris, providentia, eas consuevit personas condignis praecipue favoribus, & gratiis prosequi, quas sibi, & Apostolicae Sedi devotas, & obsequiosas, ac plurimis cognoscit meritis adjuvari.

Exordium.

§.1. Hinc est, quod Nos, Venerabiles Fratres, Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, Praelatos domesticos nostros, & in Cappella nostra assistentes, eorum meritis, & obsequiis exigentibus, condignis favoribus, & gratiis prosequi, titulisque, & honoribus decorare volentes: Motu proprio, non ad ipsorum Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, vel aliorum pro eis Nobis super hoc oblata petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, & certa scientia, eosdem Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, ac eorum singulos respective, Nobiles apostolica auctoritate tenore praesentium creamus, & facimus, ac nobilitamus, nobilitatisque titulis, & insigniis decoramus, necnon aliorum nobilium numero, & consortio favorabiliter aggregamus, ac pro nobilibus haberi, & nominari, ac reputari volumus, & mandamus, eisque, ut omnibus, & singulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, derogationibus, mandatis, dispensationibus, favoribus, gratiis, & indultis, quibus alii nobiles, etiam de nobili Comitum genere, etiam qui illustres reputantur, etiam ex utroque parente procreati,

Praelatos Cappellae Papae assistentes. Nobiles etiam de Nobili Comitum genere creati eo quo indultis, Privilegiis &c. donati.

ti, de jure, vel consuetudine, ac aliis quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, etiam uti, potiri, & gaudere libere, & licite possint, & valeant vere, & non ficte in omnibus, & per omnia, ac si de illius generis ex utroque parente procreati forent, ita quod inter eos, & ipsos illustres, quoad nobilitatem, & alia ad illam necessaria, nulla penitus sit differentia, nec fictio locum habeat, auctoritate, & tenore praedictis concedimus, & indulgemus.

Exemptio a solutione vetricigalis vini pro sex vegetibus.

§.2. Necnon eos, & eorum singulos, dum in Curia praesentes erunt, a solutione vetricigalis vini pro sex vegetibus pro quolibet dumtaxat, de quibus eorum, & cuiuslibet ipsorum arbitrio disponere valeant ad instar Cameralium, eisdem auctoritate, & tenore eximimus, & liberamus, ac liberos, & exemptos esse volumus.

Panisque portione dieti in Palatio Apostolico habendam assignat.

§.3. Insuper eisdem Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, & eorum singulis unam portionem panis, honoris nuncupati, ex Palatio Apostolico dietim habendam, percipiendam, & consequendam, auctoritate, & tenore praedictis concedimus, & assignamus.

Notarios creandi facultate tribuit.

§.4. Ac illis, & eorum singulis, ut tres viros, vite, ac morum probitate, aliisque virtutum donis commendatos, qui nostris, & Sedis Apostolicae obsequiis insisterent proponant, in nostros, & ejusdem Sedis Notarios auctoritate nostra apostolica recipiendi, & admittendi, ac aliorum nostrorum, & Sedis praedictae Notariorum numero, & consortio favorabiliter aggregandi.

Eorumque privilegia ex ceptis hic descriptis gaudere etiam absque delatione habitus indulget.

§.5. Illisque, ut etiam habitum, & rochetum non deferant, nihilominus omnibus, & singulis favoribus, honoribus, privilegiis, gratiis, indultis, praeminentiis, exemptionibus, & praerogativis quibus alii nostri, & dictae Sedis Notarii, tam de jure, quam de consuetudine, aut aliis quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, similiter uti, frui, & gaudere possint, & valeant. Sine tamen aliorum nostrorum, & ejusdem Sedis Notariorum de numero participantium praedictis, & citra exemptiones a Sacro Concilio Tridentino sublatas, ac facultates legitimum, ad gradus promovendi, ac Notarios, seu Tabelliones creandi, aliaque similia privilegia eisdem Notariis de numero participantium concessa, seu ab eis praesentia, quibus Notarii ab illis vigore praesentium creandi nullibi uti valeant, & si fecerit ab eis fieri contigerit, irritum, & inane existat, indulgendi.

Necnon Milites Auratae Militiae cum suis privilegiis.

§.6. Necnon etiam alios octo viros habiles, & idoneos, ac qualitatibus ad hoc requisitis praeditos, Auratae militiae Equites, eadem auctoritate creandi, & deputandi, illorumque aliorum militiae hujusmodi Equitum numero, & consortio favorabiliter aggregandi, ac eisdem, ut torquem aureum, ac cnsem, & auratae calcaria gestare, omnibusque, & singulis privilegiis, gratiis, indultis, & praerogativis, quibus alii Equites hujusmodi utuntur, potiuntur, & gaudent, similiter uti, potiri, & gaudere valeant, citra tamen exemptiones a dicto Bull. Rom. Tom. V. Par. V.

Concilio sublatas, concedendi, facultate, auctoritate, & tenore praemissis impertimur.

Collegii facultas condendi, & immutandi statuta Collegii.

§.7. Ac ulterius eisdem Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & eorum singulis, ut in his, quae ad eorum Collegium pertinere judicabunt, quaecumque Statuta, Capitula, & Ordinationes, licita tamen, & honesta, ac sacris Canonibus, & Concilii Tridentini decretis, ac Constitutionibus Apostolicis non contraria, facere, & edere, illaque pro tempore, prout expedire cognoverint, mutare, corrigere, & in melius reformare.

Indultum celebrandi, & audiendi Missae in Oratoriis domesticis vel destinandis cu declaratione satisfacione praecipuo audiendi Missam in Ecclesiis.

§.8. Necnon pro spiritualium eorum consolatione, in privato domus cujuslibet illorum, etiam in Alma Urbe nostra existentis, Oratorio ad hoc decenter muro extructo, & ornato, seu extruendo, & ornando ab omnibus domesticis usibus libero, pro dilectum filium nostrum in eadem Urbe Vicarium in spiritualibus generalem prius visitando, & approbando, unam Missam pro unoquoque die, & dummodo in domo hujusmodi celebrandi licentia alteri concessa non fuerit, per se ipsos celebrare, seu per quemcumque Sacerdotem approbatum secularem, vel de superiorum suorum licentia regularem, sine tamen quorumcumque jurium parochialium praedictis, ac quoad eos, qui extra Urbem fuerint, Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, & Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, aliisque solemnioribus anni festis diebus exceptis, in sua, ac cuiuslibet eorum familiae praesentia celebrari facere, ita tamen, ut familiares eorum servitii non necessarii ibidem Missam interessentes, ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festis de praecipuo minime liberi censeantur.

Aliud indultum circa resignationes, & permutationes beneficiorum ad summam quingentorum ducat. auri de Camera non excedentium.

§.9. Praeterea eisdem Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & eorum singulis, ut quicumque loci Ordinarii, vel Canonici Metropolitanarum, seu aliarum Cathedralium Ecclesiarum, aut personae in dignitate Ecclesiastica constitutae, tam in Romana Curia, quam extra eam ad id per eos respective coram Notario, & Testibus fide dignis eligendi, seu eligenda, quascumque pensiones annuas illis, & eorum singulis super mensurarum Abbatialium, seu Capitularium, ac Episcopatum, & Archiepiscopatum, ac quorumcumque aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura secularium, ac quorumvis ordinum, & militiae regularium, etiam Hospitalium Sancti Joannis Hierosolymitani, quomodocumque, & qualitercumque qualifactorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, ac distributionibus, etiam quotidianis, ipsis nunc, & pro tempore reservatas, assignatas, ac reservandas, & assignandas, pro summa videlicet quingentorum ducatorum auri de Camera, quoad singulos eorum quomodocumque alicui eorum respective placuerit simul, vel successively, in toto, vel in parte, etiam in cuiuslibet eorum mortis articulo cassare, & extinguere, ac postquam cassata, & extincta fuerint, alias similes pensiones annuas super eisdem

De forma resignandi Beneficia, resignacioneque publicacioneque habet Cont. CLV. Gregor. XIII. Humanis oris. Tom. 4. par. 48 fol. 44.

eisdem fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & distributionibus usque ad summam, & quantitatem prædictam, uni, vel pluribus aliis personis, etiam per eos nominandis, etiam quæcumque, quotcumque, & qualicumque beneficia Ecclesiastica obtinentibus, & expectantibus, seu clericali saltem caractere insignitis, & aliis pensionum hujusmodi capacibus, etiam eis quoad vixerint, vel eorum procuratoribus ad id ab eis speciale mandatum habentibus, iisdem modo, & forma, quibus eisdem Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac eorum singulis reservata, & assignata fuerint, etiam absque consensu eisdem pensiones solvere debentium desuper præstando, usque ad summam, & quantitatem prædictam, etiam literis Apostolicis super reservationibus, & assignationibus hujusmodi non confectis, ac aliis cum omnibus, & quibuscumque exemptionibus, privilegiis, decretis, clausulis, cautionibus, vinculis, obligationibus, & cautelis, ac etiam censuris, & penis in prioribus reservationibus hujusmodi concessis, & contentis, integre persolvendas reservare, constituere, & assignare valeant, eisdem auctoritate, & tenore de speciali gratia indulgemus.

Facultas disponendi de quibuscumque bonis, usque ad summam mille ducatorum auri de Camera ad favorem hic descriptorum.

§. 10. Necnon eisdem Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac eorum singulis, ut de omnibus, & singulis domibus, prædiis, possessionibus, terris, & locis, ac jurisdictionibus, ceterisque bonis mobilibus, & immobilibus, quæ tamen non sint altaris, vel altarium Ecclesiarum illis, & eorum cuilibet pro tempore commissarum, seu alicui speciali earum servitio, vel ministerio, aut alias divino cultui, vel usui dedicata, seu ad ejus usum confecta, seque moventibus, cujuscumque qualitatis, quantitatis, valoris, speciei, pretii, & conditionis existentibus, ac juribus, & actionibus a eos ratione quarumcumque Cathedralium, etiam Metropolitanarum, & Patriarchalium Ecclesiarum, quibus hætenus præfuerunt, & ad præsens præsent, necnon ad quas eos forsitan deinceps transferri, & quibus eos præfici, & præesse contigerit, necnon Monasteriorum, Prioratum, Præpositurarum, dignitatum, ac aliorum quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura secularium, & quorumvis ordinum regularium, quæ etiam ex quibusvis concessionibus, & dispensationibus apostolicis in titulum, commendam, administrationem, ac aliis quomodolibet obtinuerunt, obtinent, & obtinebunt, ac fructuum, reddituum, & proventuum Ecclesiasticorum, necnon pensionum annuarum super similibus fructibus, redditibus, & proventibus eisdem Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac eorum singulis reservatorum, & assignatorum, ac reservatarum, & assignatarum, reservandorum, & assignandorum, reservandarumque, & assignandarum, quos, & quas perceperint, percipiunt, & percipient in futurum, necnon emolumentorum quorumcumque Romanæ

Curie officiorum, ac aliis quomodolibet spectantibus, & pertinentibus, necnon eorum, & cujuslibet eorum industria, & labore quomodolibet, & undecumque, licite tamen acquisitis, & acquirendis, ac aliis, etiam de muneribus, & officiis, quæ exercuerunt, ac eos exercere contigerit, & alia quavis occasione, vel causa, seu contemplatione ad eos perventis, & perventuris, etiam si in pecunia numerata, ac localibus, gemmis, aliisque pretiosioribus rebus consistant, tam in dicta Curia, quam extra eam ubique locorum, & penes beneficia ipsa existentibus, quorum omnium qualitates, & veros etiam annuos valores, etiam si talia forent, quæ in generali appellatione bonorum, & suppellectilium non venient, sed specialibus indigerent vocabulis, presentibus, ac si specificis, & sigillatim exprimerentur, & denominarentur pro sufficienter expressis, & declaratis haberi volumus, usque ad summam mille ducatorum auri de Camera, tam pro decentibus, & honestis impensis sanebribus, quam etiam pro remuneratione illorum, qui illis viventibus inservierint, etiam ultra servitii meritum, ac in eorumdem Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, & eorum singulorum consanguineorum, & affinium, ac quorumcumque piorum locorum favorem, & usum, & aliis pro restaurandis domibus, seu aedificiis consistentibus in locis Ecclesiarum, vel beneficiorum per eosdem Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, ac eorum singulos obtentorum culpa, aut negligentia eorumdem Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, ac eorum singulorum, aut illorum, procuratorum destructis, vel deterioratis, necnon recuperandis aliis juribus earumdem Ecclesiarum, vel beneficiorum deperditis ex culpa, vel negligentia supradictis, fuerint opportuna, deductis, & sine præjudicio literarum, seu constitutionum apostolicarum super residentia editarum, & injuriam Camera Apostolicæ, quoad bona jurisdictionalia, testari, ac testamento, codicillis, fideicommissis, legatis, donationibus, tam inter vivos, quam causa mortis, ac aliis quibuscumque modis, & titulis, scriptura, etiam minus solemniter coram duobus, vel tribus testibus, aut etiam cedula sola manu illorum scripta, vel subscripta, ac aliis in omnibus, & per omnia, prout quemadmodum eis videbitur, etiam in ipsa Curia, & in mortis articulo, etiam nulla facta mentione præsentis, vel aliarum illis pro tempore concessarum similibus facultatum, aut quod in vim illarum testari, seu disponere velint, & intendant, semel, atque iterum, aut pluries statuerent, disponere, ac ordinare, itant quicquid testatum, gestum, aut ordinatum, vel aliis dispositum ab eis fuerit, etiam in vim simplicis distributionis, ac aliis omni meliori modo valeat, & servari debeat, ipsaque testamen-

ta, codicillos, dispositiones, ordinationes, donationes, legata, & statuta pluries, ac toties, quoties eis videbitur, moderari, limitare, ac etiam in totum revocare, & alia de novo edere libere, & licite valeant, auctoritate, & tenore præmissis plenam, & liberam concedimus facultatem.

Defectus super eisdem dispositionibus, quoscumque supplet.

§. 11. Et nihilominus quæcumque hujusmodi testamenta, legata, donationes, dispositiones, & alia de hujusmodi bonis, juribus, & actionibus, fructibus, pecuniis, localibus, aliisque rebus supradictis, etiam in favore consanguineorum, & affinium prædictorum, ac aliis quomodolibet ab eisdem Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & eorum singulis facta, cum omnibus inde sequentibus, ac etiam ea, quæ per illos in futurum quomodolibet fierent, ex nunc prout ex tunc, & e contra approbamus, & confirmamus, omnesque, & singulos juris, & facti, ac solemnitate omittimus, & omittendum, necnon substantiales, aliosque defectus quoscumque, si qui intervenerint, aut intervenerint in eisdem, etiam si tales sint, vel fuerint, quod specialis, & specifica de illis mentio presentibus habenda esset, supplemus.

Inhibitio contra molestantes.

§. 12. Districtius inhibentes quibusvis Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatibus, necnon Camera prædictæ Præsentibus, & Clericis, ac eorum, necnon Fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, ac Cruciatæ sanctæ, ac aliis Collectoribus, & subcollectoribus, ceterisque cujuscumque dignitatis, status, gradus, & conditionis existentibus, etiam quavis auctoritate, & potestate fungentibus, ne, unversitates, Collegia, ac loca, legatarios, hæredes, & personas, necnon testamentorum, voluntatum, & ordinationum hujusmodi exequutores prædictos, directe, vel indirecte quovis quaesito colore, vel ingenio molestare audeant quoquomodo, vel perturbare.

Clausula præservativa.

§. 13. Ac decernentes, prædicta omnia, & singula, præsentisque literas, ac omnia, & singula in illis contenta, necnon testamenta, donationes, codicillos, fideicommissa, legata, ordinationes, derogationes, dispositiones, & alia quæcumque, necnon quæ in præmissis facta sunt, aut earumdem presentium vigore fieri contigerit, tam in vigore presentis, quam aliarum concessionum illis factarum, ac deinceps in genere, & in specie faciendarum cum inde sequentibus, & sequentibus, valida, firma, & efficacia fore, necnon perpetua firmitate subsistere, suoque plenarios, ac omnes effectus sortiri, & obtinere; nec etiam per translationem ad Metropolitanas, vel Patriarchales Ecclesias, vel quamlibet aliam status, & personæ ipsorum Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, ac eorum singulorum respectu mutationem, nec per similes, vel dissimiles gratias illis concessas, & concedendas confundi, sed ipsis cumulative in omnibus, & per omnia uti, & si quid in una ex facultatibus hujusmodi defecerit, id per aliam suppleri debere, nec hæredes, legatarios, ac loca, ad quos, seu quæ, bona, jura, & actiones devenient, vel quibus relinquentur, aut exequutores prædictos ad tertiam, seu aliam eorum partem: quam etiam ex nunc illis, ac locis, hæredibus, legatariis, ac donatoriis prædictis liberaliter concedimus, & donamus, Camera, vel Fabricæ, aut beneficiis prædictis, etiam pro expeditione contra infideles, & quibuslibet aliis quantumlibet piis usibus solvendum, aut cum iis desuper componendum, vel ipsos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & eorum singulos ad aliam particularem licentiam, sive indulgentiam, aut confirmationem presentium a Nobis, vel Successoribus nostris Romanis Pontificibus petendum, aut impetrandum, vel etiam in alia simili gratia, sive ejus confirmatione illis quomodocumque concedenda de presentibus mentionem aliquam faciendum teneri, nec ad id ulla umquam necessitate cogi posse.

Decretum irritans.

§. 14. Et sic in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac eisdem S. R. E. Cardinales, necnon pro tempore existentes ejusdem Camera Camerarium, Præsentibus, & Clericos in quavis causa, & instantia judicari, & definituri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Exequutores istius Constituti.

§. 15. Quocirca Venerabilibus Fratribus nostris Ostiensi, & Portuensi Episcopis, ac dilecto filio causarum Curie Camera Apostolicæ generali Auditori per presentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios presentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte ipsorum Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, seu alicujus eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra eisdem presentes, & in eis contenta quæcumque firmiter observari, ac eos illis omnibus pacifice frui, & gaudere, non permittentes illos per quoscumque quavis auctoritate fungentes contra presentium earumdem tenorem quomodolibet indebite molestari, inquietari, vel perturbari; Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & penas Ecclesiasticas, aliisque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras, & penas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contraria tollit.

§. 16. Non obstantibus præmissis, ac pia memoria Bonifacii Pape VIII. etiam Prædecessoris nostri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate presentium ad iudicium non trahatur, necnon Lateranen. Concilii novissime celebrati de certorumdem Notariorum numero, etiam si ad illum nondum devenitum fuerit, cui